

ad beneplacitum, quam illa, *donec revocavero*; tum etiam quia magis ampla esset concessio illa complexa, *ad annum secundum beneplacitum*, quam simplex, *ad beneplacitum*, quod non videtur verisimile. Denique, juxta priorem expositionem, sensus est quasi divisivus et copulativus, scilicet: Concedo ad annum, et ad beneplacitum; quem ego libenter admitterem, quando dictio copulativa in concessione ponetur modo praedicto. At vero quando non ponitur, non est supplenda, quia jam est sensus voluntarius et improprius. Nam concessio est simplex, et per categoricam propositionem de praedicto complexo, ex dupli additione se invicem determinante, scilicet, annum ad beneplacitum, seu beneplacitum ad annum, et hoc secundo modo est limitata concessio annualis, ut explicatum est. Atque hic sensus in rigore verborum videtur mihi magis intentus, licet fortasse superior ut favorabilior frequentius sit acceptandus.

13. *Notandum circa primam sententiam Henr.* — Advertendum tamen est illam sententiam probabiliorem videri, si verba concessionis sint: Do licentiam *ex beneplacito ad annum*, de qua forma loquitur Henr. supra, quia ibi beneplacitum non ponitur ex parte termini, nec ut limitatio durationis annuae, sed tantum ut principium gratiae, et concessionis simpliciter factae per annum. Et in hoc sensu verissimum censeo non cessare gratiam intra annum per mortem concedentis, quia pro illo anno simpliciter est facta ex beneplacito. Consequenter tamen in eodem sensu dicendum est illam gratiam non durare post annum, etiam vivente concedente, quia praeceps ad annum illam concessit, nec beneplacitum ejus ad majus tempus fuit extensum, nec per solam vite durationem extenditur, ut per se notum est.

CAPUT XXXIII.

DE AMISSIONE PRIVILEGII PER RENUNTIATIONEM EXPRESSAM.

1. *De renuntiatione.* — Primo supponendum. — Privilegium quod momentaneum habet effectum renuntiable non est. — Exemplum in irregularitate. — Item in voto. — Item in impedimento matrimonii. — Per se loquendo, privilegium proprie sumptum renuntiable est. — Declaratis modis quibus privilegium ex se et quasi ab intrinseco finitur, sequitur dicendum de ablatione illius per actionem aliquam

contraria quae potest esse vel ipsius proprii privilegiorum, vel alterius. Una ergo actio privilegiorum sufficiens ad tollendum ab ipso privilegium censetur esse renuntiatio, de qua in praesenti capite dicendum est. Et imprimis suppono privilegium habens permanentem durationem cum tractu successivo in ordine ad futuras actiones, vel receptiones, aut omissionem illarum, renuntiable esse ab ipso privilegiario, per se loquendo. Loquor de privilegio permanente per modum potentiae, seu actus primi, ut excludam privilegium quod momentaneum habet effectum, et solum datur per modum dispensationis tollentis aliquod vinculum, vel impedimentum; illud enim postquam semel est concessum, renuntiable non est, quia semel factum infectum esse non potest, seu quod ablatum est redire non potest, praeceps per privatam hominis voluntatem. Sic privilegium tollens irregularitatem renuntiari non potest, quia non potest homo illam priorem irregularitatem in se iterum facere. Sic etiam qui dispensationem voti obtinuit, et semel acceptavit, non potest amplius illi renuntiare, quia non potest priorem obligationem reparare, licet possit novum votum de novo facere. Ita etiam qui est dispensatus in impedimento consanguinitatis, non potest illi proprie renuntiare. Poterit quidem ille non contrahere matrimonium, qui est veluti usus illius dispensationis, licet remotus, et tanquam a causa per accidens, scilicet, removente prohibens; non tamen potest ita renuntiare dispensationi, ut reddat se inhabilem ad tale matrimonium, quia hoc non est in voluntate ejus, sed pendet ex voluntate Praelati, qui potest quidem simile impedimentum iterum imponere, revocando dispensationem; tamen, speculative loquendo, censemur idem in specie, non numero, cum eo quod per dispensationem ablatum fuit: non ergo tractamus de dispensatione, sed de privilegio proprie sumpto, et de illo dicimus, de se ac per se loquendo, renuntiable esse ab ipso privilegiario. Hoc enim omnia jura supponunt, ut patet ex c. *Si de terra*, et c. *Accidentibus*, de Priv., c. *Ad Apostolicam*, de Regul., l. *Si quis in conscribendo*, c. de Pactis, quibus locis Glossæ et doctores alia jura referunt.

2. *Explicatur assertio.* — Ex dupli causa privilegium fit irrenuntiable. — Privilegium clericale cur non possit ab aliqua persona particulari renuntiari. — Aliud exemplum. — Dico autem per se loquendo, quia hoc postulat

CAP. XXXIII. DE AMISSIONE PRIVILEGII PER RENUNTIATIONEM, ETC.

natura privilegii, si ad ipsum privilegiorum proprium et quasi adaequatum comparetur: nam respectu illius beneficium privilegii non est coactum, nec confertur invito, ideoque ab eodem renuntiari potest, si velit. Contingit autem privilegium non posse renuntiari ab aliquo qui illo gaudet, quia vel non est proprium subjectum cui datum est privilegium, et propter quod est datum, vel quia non pendet adaequata ex voluntate ejus. Prior modo non potest renuntiari a particularibus personis privilegium principaliter concessum in gratiam communis, ut est privilegium cleri, tam fori quam canonis, ut supra visum est, et in sequentibus dicetur. Posterior autem modo non potest aliquis renuntiare privilegio sibi concesso, quod continet etiam jus alterius, cui per talem renuntiationem præjudicaretur. Et sic Praelatus non potest renuntiare libertati Ecclesiæ ad jus Romanæ Ecclesiæ pertinentis, c. *Cum tempore*, de Arbit.; seclusis vero his casibus privilegium renuntiable est, et de hac renuntiatione nunc tractamus.

3. *Secundo supponendum.* — *Renuntiatio propria et impropria.* — Secundo, suppono duplum posse distinguere renuntiationem privilegii, unam impropriam, aliam propriam. Prior consistit in puro non usu actuali privilegii, ut, cum quis, habens sufficientem excusationem ad non jejunandum, nihilominus jejunat, dici potest renuntiare privilegio suo. Proprie autem renuntiare privilegio, non tantum est non ut illo, etiam voluntarie, sed est tollere a se jus et potestatem utendi: sunt enim haec duo valde diversa; nam per solam negationem usus non tollitur potestas, sed tantum non exercetur actus, ut si quis habeat privilegium loquendi cum excommunicato, et nolit loqui, etiamsi possit, non se privat potestate, sed actu tantum. Privilegium autem, de quo tractamus, in potestate consistit, ut explicatum est, et ideo ille non usus, etiam voluntarius, per se et intrinsecus non est proprie renuntiatio privilegii; an vero sit signum illius, infra dicemus. Renuntiatio ergo privilegii propria est voluntaria abdicatione et refutatio illius juris et potestatis quam privilegium concedebat, ex qua ablatione consequitur ut non possit quis amplius uti tali privilegio; quia nemo potest uti re quae jam non est: unde a fortiori fit ut non possit quis amplius licite uti tali privilegio, quia nemo potest licite cum deceptione et nullitate aliquem actum exercere; talis autem

esset usus privilegii jam non existentis. Item si privilegium concedebat usum qui sine privilegio non licet, jam ille usus non potest magis licere quam antea: unde tandem fit, ut ex tali renuntiatione oriatur obligatio non utendi amplius tali privilegio, quia eo ipso quod res fit illicita, oritur obligatio vitandi illam. Atque ita qui renuntiat privilegio in favorem alterius, eo ipso obligatur illi ad non usum talis privilegii, seu (quod idem est) dat alteri jus contra usum privilegii, et consequenter obligatur ipse ad non usum privilegii; tum quia tenetur servare jus alteri semel datum, tum etiam quia tenetur non uti jure jam per renuntiationem amissum.

4. *De propria renuntiatione.* — In praesenti ergo de propria renuntiatione privilegii tractamus, quae potestatem ipsam et jus auferat: et ideo de altera renuntiatione impropria, breviter dico per se licitam esse, consistere que formaliter in voluntario non usu. Dico autem voluntario, quia si voluntas desit, non erit renuntiatio, etiam ipsius usus, sed erit necessitas quædam, vel coactio, aut impotencia, ut paulo inferius explicabo. Haec autem renuntiatio per se licita et libera esse dicitur, quia privilegium quoad ipsum privilegiorum est quasi lex permittens seu dans facultatem, non vero obligans ad usum illius, et ita liberum unicuique est illo non uti, argumento cap. *Cum nobis*, de Electionib., præter alia sæpe allegata. Quod intelligendum est, ut dixi, per se, id est, nisi aliunde a superiore, vel a lege positiva vel naturali, cogatur quis ad usum privilegii, ut in multis casibus specialibus in jure providetur, quos magna ex parte notat Glossa in leg. *Si quis in conscribendo*, c. de Pactis, et alii doctores. Maxime vero hoc contingit quando privilegium est juris publici, et non tantum privati, juxta dicta supra cap. 6; extra hos vero casus regulariter licitum est unicuique non uti suo privilegio, quod est quasi renuntiare actuali usui ejus. Dices: ergo qui habet privilegium audiendi Missam tempore interdicti, potest libere renuntiare usui ejus in die festo, et licite non audire Missam. Respondeo: quantum est ex vi privilegii, libere quidem posset illam non audire, tamen quia in die festo aliud præceptum obligat, non potest tunc licite Missam omittere. Est enim considerandum, privilegium illud non tam dare facultatem quam tollere prohibitionem et impedimentum, et ideo licet quis possit mere negative non uti privilegio quoad effectum, quia

ex illo sequitur tanquam a removente prohibens, non tamen potest ita illi renuntiare, ut se reddat impeditum, et quasi interdictum ad Missam audiendam, quia tale privilegium quoad hoc renuntiable non est, ut supra declaravi, et ideo non potest vitare, quin obligari possit preecepto audiendi Missam.

5. *Renuntiatio tacita et expressa.—Ad renuntiationem propriam requiritur voluntas abdicandi a se totum jus privilegii.*—Tertio, distinguere oportet renuntiationem proprii privilegii in tacitam et expressam, que distinctio non habet locum in non usu mero, quia quoties aliquis sciens et potens uti privilegio illo non utitur, satis aperte ostendit voluntatem non utendi. De privilegio autem proprio est communis illa distinctio, et sumitur ex jure, ut ex dicendis patebit; et ideo ante omnia explicare oportet quid sufficiat, et necessarium sit ad expressam renuntiationem; nam per analogiam ad illam, seu per imitationem, vel participationem illius explicanda est tacita. Primo igitur, ad expressam renuntiationem proprii privilegii, necessaria est voluntas abdicandi a se totum jus et facultatem privilegii. Probatur, quia renuntiatio privilegii voluntate fit tanquam principali causa; ergo ut renuntiatio sit expressa, esse debet voluntas expressa. Declaratur, quia ex parte objecti non est satis voluntas, seu propositum nunquam utendi, quia talis voluntas non inducit obligationem, nec tollit potestatem faciendi oppositum, et mutandi propositum; ergo ex vi illius non abdicabitur proprium privilegium, quod in facultate et jure consistit, ut explicavi; ergo est necessaria voluntas abdicandi a se ipsum jus, et facultatem privilegii. Imo, ut sit propria renuntiatio, oportet ut voluntas sit de toto privilegii jure a se abdicando: nam si quis tantum intendat, vel paciscatur, renuntiando juri privilegii, pro una vice, vel pro uno munere, etc., non ideo privatur toto privilegio, argumento leg. *Voluntaria*, cum Glossa ibi, cod. de Excusat. tutor; et ita non est absoluta renuntiatio privilegii, dici tamen poterit renuntiatio partialis, seu secundum quid, ad illamque cum proportione applicari poterunt quae de renuntiatione dicuntur.

6. *Objectio.—Responsio.*—Sed objici potest contra assertionem; quia ex illa sequeretur generalem voluntatem renuntiandi juribus aut privilegiis non sufficere ad expressam renuntiationem specialium privilegiorum; consequens est aperte falsum, ut ex se et ex

usu constat; ergo. Sequela patet, quia ibi non intervenit formalis voluntas renuntiandi specifica privilegia. Adde non tantum formalis voluntatem, sed etiam virtualem sufficere, ut si quis velit aliquid repugnans privilegio, eo ipso virtualiter vult abjecere privilegium. Ad objectionem respondeo, negando sequelam et probationem ejus, licet possit esse aequivocatio in terminis: aliud enim est voluntas formalis, aliud specifica. Nam voluntas universalis et generica etiam est formalis, non solum de ipso genere, sed etiam de speciebus quae sub illo conceptu confuso comprehenduntur: nam licet ex parte intellectus confuse cognoscantur, tamen quia affectus tendit ad res in se, ideo voluntas illa formalis est de omnibus speciebus ibi contentis. Imo et expressa dici potest ex parte voluntatis et affectus, licet ex parte cognitionis non sit distincta et clara, et hoc significatur cum dicitur voluntas specifica, scilicet, quae terminetur ad rem distincte et in specie positam. Igitur, quod ad rem spectat, renuntiatio expressa non requirit specificam voluntatem, ut objectio probat, et usus tam juris quam facti confirmat. Et ratio est, quia voluntas generalis de se usque ad speciem descendit, et ideo ad talem renuntiationem sufficit, et requiritur formalis voluntas abdicandi a se tale jus, sive illud in specie proponatur voluntati, sive sub genere in quo voluntas indistincte et generaliter fertur.

7. *Regula juris servanda.*—In hoc vero applicanda est et servanda regula juris, ut sub generali concessione non veniant quae non esset quis in specie concessurus; eadem enim ratio procedit in renuntiatione generali privilegii. Et in universum locum hic habet vulgaris regula, quod clausula generalis comprehendit species quantum potest, salva ratione juris et recti sermonis, argumento 1. *Si ex pluribus*, ff. de Solut., cum similibus. Sicut enim consensus non extenditur ad non cogitata, nec verisimiliter comprehensa sub cogitationis, ita nec renuntiatio, quia consensum requirit. Et ideo sub formali voluntate comprehendimus illas conditions, quae ad voluntarium consensum, et ad contrahendum, seu se obligandum sufficienes ac necessarie sunt. Ut quod non sit voluntas coacta, vel per dolum, deceptionem aut similem injuriam extorta: nam si haec deficiant, non censemur esse voluntas sufficiens. Quia eadem est ratio de hac renuntiatione quae de aliis contractibus vel obligationibus, ut late per Socin., cons.

263, volum. 2; et plura congerit Tusch., lit. R, conclus. 167, 168, 169.

8. *Ad confirmationem responsio.*—Ad confirmationem respondeo: si quis velit aliquid repugnans usui privilegii, non perpetuo, sed in aliqua occasione, vel pro aliquo tempore, talis voluntas de se non sufficit ad renuntiationem privilegii, quia nec virtualis voluntas censeri potest. At vero si quis velit aliquid repugnans ipsi privilegio in se, quia tollit fundamentum ejus, vel perpetuo inhabilitat ad usum ejus, tunc illa voluntas censetur sufficiens ad expressam renuntiationem privilegii, et dici potest voluntas formalis ex parte voluntis, licet ex parte objecti virtualis sit; cum hac enim amplitudine intelligendum hoc est, quamvis in hoc modo semper amittatur privilegium ex aliis principiis et causis, praeter renuntiationem.

9. *Renuntiatio interior quam vim habet.*—Sed quæri potest circa hanc partem, an sola voluntas interior, nullo exteriori signo indicata, sufficiat ad hanc privilegii renuntiationem. Quæ interrogatio solum fieri potest in ordine ad forum conscientie: nam in exteriori foro constat actum mere internum nihil operari, ut supra tractando de materia legis diximus, et idem est in contractibus et similibus. Et hinc fit ut, quoties renuntiatio talis est ut in gratiam alterius fiat, ita ut vel jus illi remittat, vel conferat, aut obligationem, necessaria sit exterior manifestatio voluntatis. Ratio est, quia sola voluntas interna, vel promissio exterius non indicata non inducit obligationem ad hominem: nam hoc est proprium promissionis quae Deo fit, ut in materia de justitia late tractatur, et videri possunt Sane., l. 4 de Spons., disp. 3 et 6; Cord., in Sum., q. 133. Et in particulari favent auctores qui dicunt renuntiationem privilegii non esse irrevocabile, nisi sit ab alio acceptata, quia æquivalet donationi, vel obligationi, ut sumitur ex Gloss. in cap. *Cum venisset*, de Eo qui mittit. in possessionem, verb. *Obtulit*; et ibi notat Bald. n. 8; latius Jason, alios adducens in l. *Postquam liti*, c. de Pactis, n. 4. Hece enim doctrina et ejus ratio maxime procedit de renuntiatione privilegii, per quam alterius jus confertur, vel ex qua nascitur obligatio respectu alterius cuius acceptatio postulatur, propter quam aliqua exterior manifestatio necessaria est.

10. Igitur tantum superest questio, quando renuntiatio fit solum quoad abdicationem privilegii ab ipso renuntiante, an sola voluntas

sufficiat ut redeat obligatio quæ per privilegium fuerat sublata. Exemplis declaratur, ut si habens privilegium eligendi confessorem velit se illo privare, ita ut non solum velit illo non uti, sed etiam non habere in se talam potestatem. Idem de habente privilegium comedendi lacticinia, vel exigendi decimas aut tributa, et similibus; de qua re nihil inventio dictum a doctoribus in propria specie, cum tamen res dubitabilis sit, et videatur esse fundamentum aliarum de quibus consequenter erit sermo.

11. *Prima sententia.*—Quod ergo hoc sufficiat ad amissionem privilegii videtur suaderi posse, primo, quia ad hunc effectum non est necessaria acceptatio alterius, neque etiam ut illa voluntas nota fiat aliis: ergo nulla necessitas est manifestationis exterioris illius voluntatis: ergo sola voluntas interna sufficit. Antecedens probatur, quia illa acceptatio vel est necessaria in aliquo tertio, vel in ipso superiore qui privilegium dedit, nullus enim aliis cogitari potest in quo necessaria sit; neutrum autem dici potest. Primum membrum probatur, quia renuntiatio non dat jus alteri, ut supponimus, sed tantum auferit ab habente; ergo impertinens est acceptatio alterius, hæc enim solum requiri solet propter effectum moralem in alio resultantem. Et hæc ratio probat etiam membrum de concedente. Præterquam quod ille a principio dedit privilegium dependenter a voluntate privilegiarii, et ita tunc virtute concessit ut possit privilegiarius dimittere privilegium, si vellet; ergo non est cur ex parte illius nova acceptatio requiratur. Et hæc rationes probant etiam non esse necessariam notitiam, quia hæc propter acceptationem solet maxime requiri. Prima vero consequentia nota est, quia exterior manifestatio voluntatis internæ solum ad hos effectus potest esse necessaria, ut in hujusmodi quæstionibus omnes fatentur, et videtur per se clarum: unde sicut in promissione ad Deum non requiritur externa prolatio, quia Deus intuetur cor, ita in renuntiatione quam homo facit solum in ordine ad se, non est necessaria externa prolatio, quia propria voluntas interna sibi satis nota est. Et ita etiam patet secunda consequentia, quia propria voluntas efficax, est de se sufficiens ad relinquendum proprium jus et favorem, ut jura supra allata probant.

12. *Secundum argumentum.*—*Tertium argumentum.*—Possumus, secundo, arguuntari, quia ideo in principio ad consequendum

privilegium est necessaria acceptatio privilegiorum, quia sua voluntate debet illud consequi, et propter hunc effectum prærequiritur notitia concessionis, quia haec debet antecedere ad consensum; illa tamen supposita, interior consensus et acceptatio sufficit, neque necessarium est ut illa voluntas exterius manifestetur: ergo eadem ratione contraria voluntas sufficiet ad abdicandum a se privilegium. Tertio, similis voluntas sufficit ad abdicandum a se dominium alicujus rei; quamvis enim non sufficiat ad transferendum dominium in alterum, tamen ad tollendum proprium videtur sufficiens, saltem ex natura rei, quia dominium est quid morale pendens ab habentis voluntate, et non ab alio, quando non repugnat rem manere sine ullo proprio dominio humano; ergo multo facilius in præsenti sufficiet sola voluntas interna ad tollendum a se privilegium, cum non sit in aliun transferendum, nec amplius durare debeat, sed destrui (ut sic dicam).

13. Quartum argumentum. — Quarto non videtur posse cum fundamento explicari quis actus externus cum interna voluntate requiratur ad hunc effectum, quia vel est sola locutio per quam illa voluntas significetur, et haec videtur impertinens, quia locutio sensibilis solum est necessaria propter notitiam alterius actualem, vel saltem per se possiblē; notitia autem alterius ad hunc effectum impertinens est, sive in actu, sive in potentia; quid enim necesse est ut alius sciat aut scire possit me carere privilegio, cum nullum jus inde acquiratur, ut supponimus? Vel ille actus exterior est executio aliqua, seu effectus carentiae privilegii, qualis erit non usus ejus, vel usus contrarius: et hoc etiam non videtur dici posse cum fundamento; tum quia hic effectus est quid posterius, sequi enim debet ex abdicatione privilegii; ergo haec prius fit per voluntatem internam; tum etiam quia rationes factae de locutione probant de quocunque effectu externo, quia ille non est necessarius propter alios, quia privilegium non debet ab aliis auferri, sed ab ipso habente, nec etiam propter ipsum videtur necessaria, quia non addit aliquid voluntati, nec dat illi efficaciam; tum denique quia explicari non potest qualis debeat esse hic effectus, an positivus vel negativus, unus vel multiplex, diuturnus aut brevis. Quod si solum requiritur hic effectus ut sit signum voluntatis, est magis impertinens quam locutio, et minus sufficiens, quia neque est signum

adeo expressum, neque satis significat voluntatem quod effectum relinquendi privilegium omnino et radicaliter, ut sic dicam, sed solum pro aliquo tempore vel usu. Si vero propter aliud est necessarius, explicari non potest, quid illud sit. Accedit tandem quod præsumptio juris videtur multum favere huic sententiae; ubicumque enim jus præsumit ex usu vel non usu externo voluntatem dimittendi privilegium, statim declarat, fuisse perditum, ut videre licet in cap. *Si de terra, de Privilegiis*, ibi: *De privilegio vobis detrahere volvistis*: ergo supponit hanc voluntatem esse efficiacem ad tollendum privilegium, quia statim succedit alia regula juris, quod remittenti jus suum non amplius licet regressus ad illud, cap. *Quam periculosum*, 7, quest. 1, 1. *Quæritur*, ff. de *Ædilit. edict.* Haec ergo sententia probabilis videtur.

14. Secunda sententia quomodo probetur. — Nihilominus contraria sententia videtur posse efficaciter suaderi. Quia non potest quis se ipsum privare privilegio, quin nova obligatio inde illi nascatur; sed talis obligatio non potest oriri ex sola sua voluntate interna; ergo nec potest per solam illam abdicare a se privilegium. Consequentia clara est: ut autem probetur major, suppono, sermonem esse de privilegio concedente aliquid contra jus, seu quod jure communi non liceret: nam si solum concedat ea, quæ jure communi licent, vix est capax renuntiationis, quia non tam concessivum est, quam declarativum juris. Illo ergo omissio, de alio probatur major, quia privilegium hujusmodi proprium et rigorosum (de quo præsertim agimus) vel remittit aliquid de jure communi, vel aliquid contra illud concedit. Unde ex vi talis privilegii aliquid homini licet, quod sine illo non liceret, ut comedere lacticinia die prohibito, recitare ante horam communem, et similia. Ergo non potest quis renuntiare tali privilegio, quin inde subjiciatur obligationi, quam antea non habebat, ratione cuius aliquid illi non licet, quod antea licet: ergo orta est obligatio non faciendi quod antea licet, vel faciendo quod licet omitti poterat: sic igitur ex renuntiatione privilegii semper resultat in privilegario nova obligatio.

15. Probatur minor. — Jam ergo probatur minor, primo, quia voluntatis promissio, si non transeat in promissionem respectu alterius, nunquam inducit novam obligationem, quia solum est nudum propositum, ut ex materia de voto suppono: hic autem non inter-

cedit promissio, ut per se constat: jam enim supposuimus non tractari de obligatione respectu tertii; ergo est nuda voluntas per modum propositi: ergo non potest inducere novam obligationem, quæ antea non esset; ergo nec potest tollere privilegium. Secundo, declaratur in hunc modum, quia vel illa obligatio quæ resultat ex renuntiatione privilegii, proxime est a voluntate propria renuntiantis tanquam e causa per se, vel sequitur ex aliqua lege, vel imponitur ab ipso superiori qui privilegium concessit; nihil horum dici potest: ergo. Major, quoad primam partem, probatur, quia nunquam potest voluntas ita sibi imperare, ut directe et immediate imponat sibi obligationem præcepti, quia non habet propriam jurisdictionem in se, et quia semper manet domina sui, et potest retractare quantum ad se priorem voluntatem; solum ergo potest se obligare aliquis sua voluntate respectu alterius, contrahendo vel promittendo, quod non fit per solam internam voluntatem, nisi respectu Dei, et illi venvendo; et tunc obligatio quæ in conscientia manet, immediatus est a lege naturali quam a propria voluntate. Hinc ergo manet etiam probata secunda pars majoris, quia illa obligatio non provenit a lege positiva: nulla enim est quæ de hoc disponat. Imo, si humana sit, non potest de actibus internis disponere, et consequenter nec ratione illorum obligare. Divina autem positiva fingi non potest. Nec denique naturalis, quia haec non obligat ad nou mutandum propositum vel voluntatem priorem. Item quia explicari non potest quæ nova materia legis naturalis ex illa voluntate resultet, neque ad quam virtutem pertineat. Denique tercia etiam pars majoris videtur clara, quia nullum præceptum superioris hic intervenit, a quo possit esse talis obligatio: nec enim generaliter latum est, nec in particulari tunc fertur, quando quis interius vult suo privilegio se privare.

16. Responso. — *Impugnatur.* — Dices hanc obligationem provenire ex illa eadem lege cui privilegium derogabat, et ita ordinarie esse legem humanam positivam, nam privilegium ordinarie illi tantum derogat; et ita non est obligatio per se orta ex voluntate propria, vel ex renuntiatione privilegii, sed est ab illa tanquam a removente prohibens, quia sublatum privilegio reddit obligatio antiqua. Sed hoc non satisficit, imprimis quia supponit quod probandum esset, quodque in controversia versatur, scilicet, nudam voluntatem destruere pri-

vilegium, et ita resultare priorem obligationem. Deinde, quia in multis privilegiis non possunt illa duo distingui; nam concessio privilegii nihil aliud est quam ablato obligationis, et ideo privilegium non potest auferri nisi a voluntate quæ possit illammet obligationem iterum imponere; haec autem est sola voluntas superioris aut legis: ergo voluntas sola privilegiorum non potest obligationem privilegio contrariam imponere, et consequenter nec privilegium destruere. Exemplis res declaratur. Unum est supra positum de privilegio ad Missam audiendam tempore interdicti, semel enim obtento tali privilegio, non potest quis sola sua voluntate ita illud a se tollere, ut teneatur deinceps lege interdicti, quia illa obligatio sublata fuit, et non potest per propriam voluntatem revocari, quia est propria legis ecclesiasticae, secluso voto. Et idem est de privilegio comedendi lacticinia, anticipandi tempus Missæ aut Officii divini, et similibus.

17. *Erasio.* — *Refellitur.* — Dices per haec privilegia non absolute auferri has obligationes, sed cum limitatione, quamdiu privilegiarius consenserit in tale privilegium; et ideo, posita contraria voluntate non habendi tale privilegium, eo ipso cessare tale privilegium, et consequenter redire priorem obligationem ex vi prioris legis generalis. Sed contra hoc est, quia illud fundamentum gratis supponitur, quia privilegium simpliciter et absolute conceditur sine tali conditione, vel limitatione. Neque illa est ex natura rei inclusa, sed ad summum includit privilegium conditionem si acceptetur; postquam autem acceptatum est, absolutum habet effectum. Item alias idem dici posset de quacunque dispensatione actuali, quæ statim habet suum effectum; nam illa etiam requirit acceptationem, et consensum recipientis illam: ergo etiam intelligenda erit concessa, ut solum perseveret effectus quamdiu duraverit consensus, et consequenter per contrariam voluntatem redit, quod est absurdum. Præterea illa additio est ad limitandum et restringendum privilegium ultra verba ejus: ergo admittenda non est. Denique, eadem ratione, quando quis habet voluntatem internam renuntiandi privilegio, subintelligitur conditio vel limitatio, quamdiu in hac voluntate perseveravero, vel, donec ad illud redire placuerit: nam est eadem ratio, et ita erit in potestate talis hominis, mutata voluntate, gaudere postea privilegio sine nova